

III Amat me aut non curat?

Pompeii oppidum Campanum est. In oppido Successus textor et ancilla Iris habitant. Successus tabernam ad Portam Maritimam habet, Iris Ullarum Iulia domina non longe a foro in caupona habitat. Ancilla enim est.

Successus, dum in taberna texturam texit, viam ante tabernam observat. Ecce 5 venit Iris (bella Iris!) cum Davo servo. Currum magnum e portu per Portam Maritimam ad cauponam trahunt. In curru dolium magnum et testa parva sunt. In dolio oleum est, in testa vinum. Iris textorem in taberna obscura non videt, sed Successus spectat et audit, amat enim puellam bellam.

'Reus tu, Dave!' Iris dicit, 'Cur non me currum trahis? Ego sola currum traho!'

10 'Cur ego non traho pro te, bella puella?' dicit Successus tacita voce, sed Iris Successum non audit. In taberna obscuram non spectat, Successum non videt.

Sed non solus Successus ancillam amat: rivalis enim est. Marcus etiam bellam

Iridem amat et ad portam, ubi Iris habitat, in muro notam scribit:

Successus textor Iridem amat, sed Iris textorem non curat. Amat enim me. Scribit rivalis.

15 Respondet Successus in muro:

Invidiosus es, quia ego sum homo bellus et pravissimus. Iris me amat, non te!

Marcus rivalis nota in muro scripta respondet:

Dico, scribo: Amas Iridem, quae te non curat. Amat enim me.